



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 62. Clementis XI. Pontificis Constitutiones, gesta, & Epistolæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

§. LXII.

Sæc. XVIII.

A. C. 1710.

Clementis XI. Pontificis Constitutiones, Epistolæ, & gesta.

Jam anno prioris sæculi quadragesimo octavo Franciscus Maria Cardinalis Machiavellus tum Ferrariensis Episcopus per sententiam latam pronuntiabat, constituisse, atque etiamnum constare de cultu memoriam hominum excedente B. Luciae de Narnia Monialis Ord. FF. Prædicatorum: nunc vero Pontifex hoc anno die vigesima sexta Martii decretum S. Congregationis hac super re editum confirmavit. Vertente autem inter Episcopum Thomerianum & Monachos Franciscanos quadam lite circa jurisdictionem Episcopalem, Pontifex die decima octava Januarii encyclicam ejusdem Episcopi epistolam, aliaque ejus scripta damnavit: ast Regius Senatus Parisiensis hanc Clementis Papæ censuram recipi, aut promulgari, edito decreto prohibuit; talia enim velut Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus adversa, inconsultis Episcopis præsumere, nec juris nec moris esse propugnabat. Insuper Pontifex die undecima Januarii Constantiensem & Basileensem Episcopos enixe hortatus est, ut in sua Diæcesi Preces Imperiales

*Bull. magn.**Const.**Clem. XI.**pag. 73.**Epist. ejus-**dem Pontif.*

R 5

Apo

Sæc. XVIII. Apostolico indulto destitutas non ab
 A. C. 1710. mitterent, Aliis literis Pontifex Au-
 gustum Poloniæ Regem, eo quod Filium
 suum ab hæreticorum consuetudine ob-
 fractum Viris Catholicis ac præcipue
 Josepho Kos Palatino Livoniæ ob or-
 thodoxæ Religionis studium commen-
 dato instituendum dederit, summi-
 laudibus extollit, rogatque, ut Ca-
 tholicis Lipsiæ degentibus locum, ubi
 Ecclesiam construere possent, assignare
 non cunctaretur, concesso autem ejus-
 modi loco Principem de Fürstenberg
 cui Rex hoc negotium demandaverat
 urgebat, ut in removendis difficulta-
 tibus, expediendisque, quibus opera
 bene cæptum perfici valeat, modis opor-
 ram suam sedulo impendere velit: Ne
 hæc Pontificis monita suo caruere ef-
 festu; quippe anno sequenti Cardinalis
 de Saxonia Baptismi, Confirmationis &
 Eucharistiæ Sacramenta in civitate
 Dresdensi publice administrabat: In-
 ter per Pontifex Archiepiscopos quoque
 ceterosque Poloniæ Præsules, Senato-
 res & Equites ad animorum conjun-
 ctionem, & fidelitatem erga Regem
 suum imminente Turcarum irruptione
 adeo necessariam hortabatur, eosque
 rogabat, ut Episcopos, cunctosque Re-
 thenos unitos ab insidiis & invidia schis-
 maticorum tuerentur: pariter nuntia-

tum erat Pontifici, quod Moschi mili-
 tes post direptam, everfamque cuni-
 culis Cathedralē Ecclesiam Plocen-
 sem, diversa Monachorum Ord. S. Ba-
 filii Nationis Ruthenæ Monasteria, alias-
 que Sacras Domos & Ecclesias tam
 Regularium quam sæcularium bonis,
 omnique suppellectili expoliaverint, &
 quosdam Monachos in captivitatem ab-
 straxerint, aliis vero ad necem quæsi-
 tis ceteros Ruthenos unitos e Polonia,
 Lithuania & Prussia in Catholicæ
 fidei & Pontificii nominis odium ex-
 pellere moliti essent, quapropter eun-
 dem Poloniæ Regem Pontifex vehe-
 menter hortabatur, ut Moscorum mi-
 litum audaciam cohiberi curet, & Mo-
 nachorum incolumitatem strenue tuea-
 tur. Innotuit quoque Pontifici, quod Sacra
 Biblia fraude hæreticorum corrupta,
 typisque Londinensibus Americano idio-
 mate excusa ad Plagas Orientales de-
 ferrentur, eoque delata in magnum
 animarum detrimentum ibidem evul-
 garentur, eapropter Pontifex Anto-
 nium Cæsar-Augustanum Archipræ-
 fulem, & Generalem Hispaniarum In-
 quisitorem die octava Martii serio ad-
 monuit, ut caveret, ne ejusmodi Co-
 dices illic distraherentur. Sub idem ferme
 tempus Clemens Papa literas accepit,
 in quibus Alexander totius Armenæ
 Natio-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1710.

Sæc. XVIII. Nationis Patriarcha eidem significabat,
 A. C. 1710. quod Catholicam fidem amplecti paratus, veritatem ex Sacris Scripturis & Patrum testimoniis scrutari ac inquirere, atque ad exemplum Prædecessoris sui Divi Gregorii Illuminatoris supremam S. Petri Cathedram unacum toto grege suo filiali reverentia & obsequio revereri statuerit; quapropter Pontifex huic Patriarchæ die decima quinta Martii respondens, hortabatur, ut in illibata fidei regula, a qua Armenorum Natio lapsu temporum deflexit, ac etiamnum in quibusdam articulis ab ea dissentit, abrupto schismatis laqueo seipsum suosque confirmet, ac Christi Vicarium, Sanctique Petri Successorem agnoscat: quod ut perficere posset, puram fidei formulam Pontifex eidem submitit, petens, ut hanc non tam calamo, & ore, quam corde subscriptam Romam transmittere, mutuumque amorem inter Armenos & Europæ Missionarios fovere velit.

Petierat insuper Joannes Lusitanie Rex, ut Pontifex circa gemina matrimonia inter Personas nobilitate præcipuas, & consanguinitate Regiam stirpem attingentes contrahenda, atque in decus & commodum illius familiae cessura legis veniam faceret. Annuit quidem Pontifex die duodecima Julii, etfi

etsi non defuerint, qui hanc gratiam Sæc. XVIII.
 differri suggessissent, donec Rex Pon- A. C. 1710.
 tifici in negotio Quindenniorum satis-
 fecisset: Vehementer autem quereba-
 tur Pontifex, quod Cardinalis Turno-
 nius a *Lusitanis* Officialibus, usu liber-
 tatis & exercitio auctoritatis sibi de-
 mandatæ destitutus, Macaoi detinere-
 tur, non alia ex culpa, nisi quia *De-*
creta, ac definitiones Apostolicæ Sedis in
caussa fidei palam denuntiare, atque execu-
tioni dare curarit: Urgebat igitur Pon-
 tifex Regem, ut, postquam literas pa-
 ternis monitis, precibus atque obte-
 stationibus, plenas pro obtinenda Car-
 dinalis libertate &c. sæpius ad Regem
 dedisset, nunquam tamen responsum
 ab eo accepisset, tandem pristinam liber-
 tatem Turnonio reddi, scandalum ocu-
 lis fidelium atque infidelium proposi-
 tum, necnon insignem a Regio nomine
 labem auferri curaret, ne plus nimio
 tribuens humanis rationibus, dum
 offensam odiumque terrenæ potentia
 declinare studet, iudicium Dei viven-
 tis incurrat.

Ceterum, quam acerba fata Ema-
 nuel Theodosius Cardinalis Bullionius
 tulerit, jam supra retulimus: cum au-
 tem Pontifex hanc vexationem in Se-
 dis Apostolicæ injuriam redundare ar-
 bitraretur, die vigesima tertia Augusti
 Ludo-

Vid. supra
t. 66. l. 212.
§. 92. p. 574.

Sæc. XVIII. Ludovico XIV. Galliarum Regi denun-
A. C. 1710. tiavit, quod omnia a Parisiensi Parla-
 mento, aliisque Magistratibus laicis
 acta, necnon Regis decreta contra hunc
 Cardinalem S. Collegii Decanum edita
 prorsus irrita & nulla declaret, Re-
 vero ea omnia revocet, & ab aliis re-
 vocari curet: vicissim vero Pontifex
 paratum se exhibuit, ejusdem Cardi-
 nalis causam accurate expendere, at-
 que ex S. Canonum præscripto defini-
 re, & si quid ille deliquerit, Pontifi-
 cem justitiæ suoque muneri nunquam
 defuturum. Hanc in rem Cardinalis
 Destræi Episcopi Albanensis necnon
 Tussani, & Noailii Cardinalium, &
 Tellerii Regii Confessarii officia apud
 Regem pro Episcopalis, & Cardinali-
 tatis dignitatis incolumitate implorabat.
 Sub idem tempus Calvinistæ in oppi-
 do Porceti prope Aquisgranensem mu-
 nem ædificium in usum Scholæ pro sua
 secta construere moliebantur, quo con-
 sperto Pontifex die decima tertia De-
 cembris Joannem Guilielmum Electo-
 rem Palatinum impense rogabat, ut
 horum machinationi obsisteret.

§. LXIII.

*Varia S. Congregationum decisio-
 nes & decreta.*

Inta